



# **Disputatio medica inauguralis de alimentis, medicamentis et venenis**

<https://hdl.handle.net/1874/340713>

DISPUTATIO MEDICA  
IN A U G U R A L I S,  
DE

ALIMENTIS, MEDICAMENTIS  
ET VENENIS,

QUAM,  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.  
Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS van MUYDEN,

J. U. D. ejusdemque Facultatis in inelytâ Academiâ Ultrajectinâ  
Professoris Ordinarii,  
NEC NON

Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimaque  
Facultatis MEDICÆ Decreto,  
PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis  
ritè, ac legitimè consequendis,

Publice defendet

HENRICH ANTHON STORCK, L.L.W.

Ad diem 7. Februarii horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō Ibc LXXXVIII.

NOBILISSIMIS, REVERENDIS, EXPERIENTIS-  
SIMO CLARISSIMIS DOCTISSIMIS

VIRIS.

D. SIMONI JODOCO KRUGERO,  
TOPARCHÆ de BERKEL & RODENRYS: Ibi  
demque simul Dispensatori Myſteriorum divinatorum  
fideliffimo vigilantiffimo. Patrono omni honore af-  
ficiendo.

D. JACOBO LE MORT, Medicinæ Doctore &  
Practico Leydenſi famigeratiſſimo Chymico verſatiſ-  
ſimo Patrono Præceptore & Fautore meo quo ad vi-  
vam Colendo.

D. BENEDICTO de HAAN, Verbi Divini fide-  
liſſimo Miniſtro Delphenſi, Fautore ſuo omni ho-  
noris genere in perpetuum proſequendo.

NEC NON

D. BERNHARDO FERRO, Pharmacopœo  
practico Rotterodami experto Amico ſingulariter  
colendo.

*Inauguralem hanc diſputationem in debita  
obſervantia ſignum*

Offert,

HENRICH ANTHON STORCK,

AUCTOR.

# PROOEMIUM.



Achinam hujus mundi æquarationis lance investigaturo plurima occurrunt, quorum fidem & notionem suspectam, ob sensuum fallaciam & aciem mentis obtusam, habere debet. Revera sensuum ministerio indigemus ad pleraque ratiocinia nostra fundanda, quicquid alii in contrarium declament, & quotus quisque tam spiritali corripiatur enthufiasmo, ut mera ratione & mente, impedimento omni corporeo deposito, uti possit? nisi divino Numinis afflatu animam nobilissimam possideat, ab omnibus tenebris & erroribus pro illo tempore immunem. Defectus igitur plurimi in devios tramites nos deducentes non uni sensui nec uni experientie nos fidere cogunt, antequam bene omnibus circumstantiis & requisitis munitam rationem audacter proferamus eique confidamus. Clara enim & distincta perceptio iudicium & assensum nostrum flectere debent, antequam quiescamus nimis aliàs creduli & securi. Hæc mecum sæpius ruminans pro more Academico disputationem exhibiturus, non minimum pluries dolui. Titulo Doctõris splendido inbianes physica ferme omni destitutos videri theses de hoc vel illo morbo ab aliis auctoribus surreptas conscribillare & hoc modo crambem millies recoctam denuo apponere. Ut igitur illa mihi non placuit methodus incertus quid eligerem diu hæsi, donec tandem in hanc physico Medicam de alimentis Medicamentis & Venenis inciderim materiam: quæ tum universam respiceret corporum modificationem miroque nature lus & phænomena plane medico digna mihi visa fuit, ut sub Auspicio DEITER OPTIMI Maximi publicè ventilaretur. Faxit idem ut ea quæ à me hic in amorem proximi proponuntur in ejus honorem faceffant.

Alimentis, Medicamentis &  
Venenis.

THESIS I.



Uæcunque sensibus nostris & acuto mentis nostræ  
iudicii examini subjecta & objecta sint, *corpora* di-  
cuntur. Hæc duplici in statu nobis apparent, nem-  
pe ratione motus & materiæ subtilis *fluida*, ratione  
quietis cohærentiæ immobilis, *solida*: nulla tamen  
simplicia sunt, sed diversitatem maximam ratione  
contentorum obtinent, hinc differunt inter se ra-  
tione *magnitudinis & figura pororum & superficiæ*, vel  
ratione *partium* juxta se invicem *quiescentium* aut su-  
per se *fluitantium*: unde *salia* juxta figuram *terre* accommodata *di-*  
*versa* prodeunt *aque* associanda. Hinc si *materiam subtilem* tanquam moto-  
rem, *salia* tanquam divisores, *aquam* tanquam vehiculum & *terram* ut pa-  
riens universale consideremus nulla forte occurrent phænomena in naturali-  
bus corporibus non explicabilia.

II. Effectum *motus* cum sit vicinæ corporum mutatio continua, im-  
possibile est quin mutuo in occurſu variæ *collisiones extricationes* (pro por-  
orum convenientia) non fiant: e quibus diversimode postmodum dispo-  
ſita *corpora* per *diversas coalitiones* in *tres classes* præcipue distinguuntur: ita  
tamen constituta videntur ut unum ex alio ortum sumſisse verosimile sit,  
nempe ut sensim à densiori & tenebricoso statu mineralium subterraneorum  
verbo divino & luce mediante ad magis raram & spongiosam vegetabilium  
consistentiam transiverint donec tandem ad *automata lumine & motu* intesti-  
no majori discreta pergeret *creatio*, ut divinæ innuere videntur litteræ. De-  
scribuntur autem hæc sub nomine *regni mineralis, vegetabilis & animalis*. Quo-  
rum generalis descriptio sequens est, *Mineralia* sunt corpora terrestria densio-  
ra sale rigidiori in diversa copia prædita, aqueis particulis paucissimis ibi-  
dem existentibus. *Vegetabilia* autem sunt particule solidæ rariores factæ à  
continuo transitu *ætheris & aque* qua mediante propulsivum motum interni  
sui succi obtinent. *Animalia* autem sunt corpora automata interno & exter-

no motu vario velociori calido gaudentia. Differunt autem mineralia à vegetabilibus ratione majoris tantum propulsione expansionis ac raritatis partium suarum. *Mineralia* enim in interiori terræ gremio, calore flammeo sulphureo: *Vegetabilia* verò per radios salino-ramosos circa superficiem terræ in aquæ gremio exceptos: *Animalia* per sulphureo- & visco-salina concreta corpora per materiam subtilem & aquam exaltando in suis tubulis meatibus & poris, *modificationem alterationem nutritionem augmentum statum & declinationem* universam sibi comparant.

III. Omnia hæc corpora vegetativa *vita* gaudent, quæ consistit in *continua mutatione* sui status per *motum & corpuscula mota* per meatus & poros illos celerius vel tardius agitata; hinc enim aliqua illis in transitu junguntur, aliqua verò, abraduntur & disperguntur vicissitudine perpetua. Si igitur plus hisce corporibus accedat quam decedat dicuntur *crefcere*: è contra ubi plus decedit quam accedit declinare dicuntur; ubi autem æqualiter tantum aufertur quantum adfertur in statu illa corpora versari extra dubium est; *Nulla* sine motu aliquali id est accessu vel decessu visuntur non magis quam mare sine æstu & fluctibus. *Differentia* autem notabilis est inter hæc *vitas vegetativas* ita ut si externis nostris sensibus credamus, alia vivere, alia omni vegetatione & vita privata esse audacter pronunciaremus. Omnia autem *corpora poris* instructa esse nullus ut opinor negabit etiam qui rudi & incondito pede Musarum limina calcaverit; illos etiam densiores poros repleri aliqua fluidiori materia, chymia & exhalationes è metallis leviter fricatis demonstrant, ut &, (quod omnibus obviam venit) in *plumbi* tenuioribus lamellis quibus vitra excipiuntur & concatenantur, halitu continuo proximos vitro parietes descendente; taceo de exhalationibus & fumis fodinarum subterranearum &c. Hæc effluvia ab ingressu *materia subtilis*, quæ nunquam simplex existit, fieri, nemo sanæ mentis negabit, quæ *salium* ope cavernulas illas non solum apertas reservat sed & sæpius in hanc vel illam partem, superficiem &c. impetum faciendo alias sibi fingit vel majores excavationes efficit vel illas dilatat & aptas natas reddit ulteriori receptui corpusculorum terrestrium, aquosorum & salinorum quæ vel cum ipsa ibidem ingrediuntur vel ibidem præexistebant sensim ita excipienda: ut postea latius. *Differentia* autem pororum cui incognita esse potest, nisi voluntarie cæcutienti? qui indefinitæ magnitudinis cum sint & variæ structuræ etiam ut pro illa diversitate magis vel minus sensilem motum respectu regiminis nostri *motus* & per consequens *corpora mota* admittant necesse est, quæ ubi sensus nostros perduritiem, tarditatem & penuriam fugiunt respectu vitæ nostræ mortua dicuntur, quamvis in suo genere optime vivant. Ex hiscè quivis

facile intelliget mineralia æquè ac vegetabilia & animalia vivere quamvis non eodem gradu &c.

IV. Præcedentia faciliè & distinctè demonstrant quævis mundana suos *ortus & occasus materia subtili* tanquam præcipuè agitationi & motui, post *Deum* Directorem & Authorem omnium, debere: Superest ut examine- mus quomodo hæc secundum naturæ ordinem procedant in sua conserva- tione, alteratione & immutatione, verum quoniam medice & non plane physice hæc tractare proposuerim, præcipuè cum hæc leves ingenii mei elucubrationes pro laurea Apollinea debite ac rite obtinenda instituerim ideo rejeçtis pro maxima parte mineralibus ac vegetalibus, imo & omnibus ani- malibus brutis, ad prætiosissimam Dei imaginem animal nempe mente & corpore præditum sicco pede transeo. *Generationem* ejus cum plerisque vivi- paris commurem satis accurate plurimi delineaverunt Auctores, rarissime autem subjectum sit medicum nisi postquam *aëra ætherea* proprio ore vesca- tur, hinc primo de individui illius jam in lucem enixi conservatione solliciti, de ejus necessariis requisitis in statu bono & sano quædam dicere consultum imò per, utile erit. *Alimenta* igitur requiruntur ex tempore, quæ duplici qualitate inde structa esse debent, ut primo *materia subtilis* raptum refarciant de in *salia* nimis lædentia intricent. Secundò ut convenientiam mollem poro- rum & meatuum obtineant ita ut in figuram illius corporis verti possint, ad *augmentum* illi conciliandum: hinc *alimentum commode definitur, corpus molle mutationi & assimilationi placida conveniens*: *Corpus* hic semper subintel- ligitur mixtum ex aqua sale & terra diversa conflatum: *Mollities* si ullibi saltem hic perquam necessaria ut salium puncta retardentur & hebetentur: 2. ut instar ceræ qualvis figuras & impressiones recipere possit sine ulla he- sitatione aliàs enim duritie sua læderet vasa tenella, vel difficiliùs vel tardius imminuerentur ad exactiorem configurationem, quamvis aliqua etiam ex- terno sensu satis dura in alimentum nobis distinentur, sed ea vera alimenta nunquam fiunt nisi postquam mollia idest per aquam flexibilia & fluidiora reddita fuerint ut inferius latius. *Mutatio* debetur materiæ subtili & salibus partes illas interno motu agitantibus, ut & concussioni pressionique post- modum in vasis angustiorem faciendæ, unde sensim illa corpuscula figu- ram suam mutare & vicissitudines subire coguntur, ratione figuræ vasorum per quæ transeunt, & ratione mixturæ, quam inire coguntur, cum aliis atque aliis corporibus & succis quibus in illis locis obviam veniunt, uti ap- paret in plurimis solummodo externis mixtionibus statum corporis notorie mutantibus ut ex gr. in *oleo vitrioli & therebintina, vitriolo & saccharo satur- ni camphora & myrrha* &c. *Assimilatio* subsequitur omnes hæc actiones ubi nempe

nempe jam ipsæ particulæ characterem illius corporis assumpserint postea in ipso occursum instar glutinis defectum refarcientes, aut ulterius propulsæ in ambitum ipsi corpori augmentum præbentes, quam diu corporis ipsius mollis humiditas, illam obductionem aut extensionem majorem admittit.

V. Quamvis in genere hic corpora mollia pro *alimentis* destinata à nobis videantur, attamen non omnia nec una eademque omni corpori inserviunt, pororum enim figura conveniens, requiritur, imò & in vaginis mollibus fericeis cultelli pessimi latere queunt noxii, qui detractò postmodum involucro iniqua & noxia *symptomata* corpori procurare queunt. Motus etiam diversus spicula ante hac divisa & innoxia jungens totum alimentum pervertit, ut videmus in *lacte acido* factò ad alituram postea inutili, in melle etiam dulcissimo in acetum degenerato, in putrefactis carnibus. Placida igitur debet fieri mutatio, idest talis, qua mediante textura ramoso-viscosa nunquam totaliter annihilatur, in ea enim mitia existunt salia involuta *balsamum naturale* constituentia. Facile autem quis colliget me pro statu corporum firmiori aut teneriori, hujus aut illius figuræ, imò & pro diversitate regionis & consuetudinis (quæ maximam hic regulam præscribit) multum variare in delectu illorum alimentorum, ut & in quantitate, qualitate & usu exhibendi. Verum ne nimis prolixus sim breviter sequentia sufficient. In *tenerrima aetate* aquosa paucioribus ramosis juncta & lactinia &c. sufficiunt. In *adolescencia* præstant viscoso-ramosa sale volatili blando gaudencia, ut carnum juscula &c. *Virilis aetas* ramosa crassiora expetit, ut carnes &c. vino diluenda & exaltanda. *Senilis aetas* ad molliora & spirituosa confugere debet euchima & eupepta &c. quæ apud Nonnium & alios qui de re cibaria scripsere ulterius investigari queunt. Nullos autem his regulis obstrictos retinere vellem, cum impossibile sit ut strictè iis inhæreamus, ob incommoda nostræ vitæ plurima, quæ nos deflectere sæpius à recto tramate cogunt. Quomodo autem hæc nostra fiat *alimentatio*, innotescet, si *chylificationem* perspectam prius habeamus, quæ ex immediate sequentibus patebit: Fit autem hæc quando ex diversi generis cibi & potus assumptione, dentibus mediantibus fermenti nobilissimi salivalis per mixtionem in ventriculo nostro talis massa deponitur, quæ per mutuam conquassationem apta nata sit, ut ex inde *liquor albicans* ad varias postea alterationes subiundas idoneus secernatur, sed cum omnia alimenta suo sale referta sunt, ne igitur ex hac lucta producat salium quorundam decarceratio, admiscetur huic chao *sal volatile biliosum* duplex suppeditans commodum, sublationem motus intestini & separationem graviorum à levioribus, de in ubi subtilissimo sulphure bilioso imbutus hic succus à vasis lacteis exceptus, pressione mediante ad cor propulsus, continua per *pulmones* circulatione vivo



*alberis* insultu imprægnatus est, tùm sub *sanguinis* nomine venit, hic ad omnes partes iter suum per *arterias & venas* absolvendo nutritionem perficit, sed residua crassiora hujus massæ per intestina sub nomine *fæcum* rejiciuntur, hæc rejectio fit partim à gravitate ipsarum *fæcum*, partim etiam ex bona intestinorum dispositione neutiquam autem ut alii volunt semper à bile non obstante flavidine *fæcum* quæ aliunde ortum agnoscit, sed ut plurimum *fæcibus* illis sat salis muriati in & acris in esse putem per se absque bilis adjumento stimuli loco sat interdum ferocis intestinis existentis. Sed cui hæc de chylicatione materia obscura videtur attendat si velit ad sequentia experimenta quæ magnam dilucidationem (ni forte aliorum Auctoritate plane occæcati sint) adferent: fructus & semina sale volatili tenui prædita oleoso mediante conquassatione cum aqua tantùm communi liquorem albicantem exhibent, uti nos emulsionem confectio docet; lac cum *spiritu Sal. armoniaci & spiritu vini* digestum in ruborem vertitur; si sanguini humano *pulvis aluminis* vel *nitri* admiscetur floridissimus inde color emergit. Si spiritum salis armoniaci addas eidem sanguini florido-purpureo colore afficitur, uti D. D. *Le Mort, Practicus felicissimus Leydenis*, ac *Præceptor meus* quoad vivam *venerandus* sæpissimè in experimentis circa sanguinem humanum factis inter auditores suos etiam mihi demonstravit.

VI. Hæ naturales sunt *immutationes* alimenti ingesti, in quibus observandum. I. *Fermentationem* seu motum intestinum unire & exactius miscere ipsas diversissimas particulas alimenti loco inservientes, prout idem observamus in liquoribus variis fermentantibus quibus ipsa solida imminuuntur alterantur & uniuntur depressis & rejectis heterogeneis: II. *Salem* volatilem *bilis* per calorem exaltare & in suam convertere figuram mollem ramosam & blandam acido sale (per fermentationem ante hac facta) depresso & mortificato. III. *Ætheream materiam* sale nitrofore fertam levem purpurei facti cruoris effervescentiam & præcipitationem corallinam rubram facere, inde floridus continuo in corde restauratus color reviviscit: IV. Ipsa *alimenta*, sub forma *chyli* perpetuo delitescere in ipso sanguine quod satis apparet in sanguine per venesectionem in aqua copiosa educto, ubi paucissima pars est rubedo, maximam autem constituit lacteus grumofus chylus: hic enim fibrosa & magis oblonga sua textura facilius ubique in circulante profluvio agglutinari potest, ubi contra globuli exacte syhærici rubri sanguinis celerrimo illo motu agitati facillime illabenda præterfluunt. V. Glandulas ubique fere disseminatas majori colaminis loco esse, ut magis & magis exactam figuram acquirat antequam plenarie interioribus nostri corporis partibus adaptetur & exactè assimiletur. VI. Ubique tantum crassiorum partium deponi, quantum

tum tenuiorum hic illic se gregantur, prout in chymicis operationibus passim observabile est, ideoque ubivis in toto corpore secretiones etiam fieri varias, quæ pro mole sua fluiditate & soliditate ad diversa amandantur loca excretioni destinata, ut pote jam plane inutilia facta ad ulteriorem elaborationem, figura forma omnibusque requisitis in iisdem deficientibus, inutili oneri alias postmodum futuris.

VII. Hisce omnibus recte observatis & perspectis, sequentia inde facile conjici poterunt; *fermentum* specificum appropriatum in suis qualitatibus, nempe poris & figura salis & terræ, requiri, ut *idea* aliqua rei fermentandæ imprimatur quod apparet in diversis fermentis acidis, acribus &c. quæ mixta alicubi fluidæ massæ illam totam acidam, acrem &c. reddunt. *Bilem* potissimum annihilationi acidi fermenti inservire, alias enim integra massa sanguinis acida redderetur, *Aëris* ingressum ob pressionem non solum necessariam esse, sed & præcipuè ob ejus salia materiæ subtili innatantia, quæ altius humoribus nostris impressa, convenientiam certo modo cum iis acquirunt, ut nempe agendo mixtura exaltetur non plane turbetur. Attamen requiritur levissima *præcipitatio* seu potius condensatio superficieularum subsequens post effervescentiam, fluidior etenim facta nostri sanguinis massa inutilis & nimis fugax evaderet, quæ hoc modo coercetur chylosa perstante immuni adhuc materia alimentationi apta. Cribrosam & ubique raram perforatam debere nostram esse texturam, ut pro vario partium situ & structura, ulterius ac ulterius in gyris & sinuosis flexibus elaborentur corpuscula benè figurata, & malè figurata sensim propelli & eliminari possint ad ultimas usque vias per quas dein extra corporis œconomiam arcentur. Ex hisce plane bona & fausta valetudine corpus tale frui unusquisque medicus judicat, nunc igitur ad declinationem illius status pergemus qui medicamentorum opem expetit, ad præcedentis restitutionem.

VIII. Prout œconomix *bonitas* in exacta structura corporis solidi & in bona mixtura, decentique pressione corpusculorum fluidorum per organa benè conformata designatur: sic è contra omnis *malignitas* in perversa structura turbata mixtura, & indecenti tam solidi quàm fluidi corporis pressione consistit, & unico verbo ubi læsa existit figura corporum præcipuè (nam in iis omnibus cardo hæret) solidorum, tam in fluido quam in solido statu. Ante omnia igitur *defectus* & *malignitas fermenti* observari debent: nam prout ingesta diversa seorsim, perpetuo existerent, nisi mediante immutatione, veluti per pistilla inter se invicem contererentur: sic situm & putredinem contraherent nisi blando & debito fermentanti spumoso liquori permiscerentur (cui conveniens pororum situs, objiciendis alimentis imprimendus, adsit) ut apparet in stagnantibus humidis liquoribus. Primus ideoque & præcipuus *error* deflecentis status elucescit in prioribus viis, ubi nempe nimis crassa &

viscida, falsa & insidida diluta aut sicca &c. nostra *saliva* existit. Hinc etenim non sufficienter nec debito modo exaltatæ aut dispositæ alituræ inutiles non solummodo fiunt operationibus ulterioribus quas in vasis diversis subire necessario debent, ad exactam figurationem & assimilationem acquirendam; sed in super inordinata sua figura, innumera procreant œconomia nostræ mala, illius ordinem varie perturbando. Princeps autem vitium secundum, morborum ferme integram post se trahens catervam, est, quod inde vel sequitur vel emanat, vœtiam immediate per se in ipso corpore sedem primam stabilem tam obtinens, unde tanquam è centro ad circumferentiam vitiatam suam figuram communicat *obstructio & mala conformatio*. Malè nimirum figurata corpuscula ulteriùs propulsa, orificia vasorum lentore & crassitie sua obducendo, impediunt liberum reliquorum progressum & circulationem, imo per male figurata illa vasa, ipse chylus in transcolatione ad latera angusta undiquè impingens, miris modis alteratur & à naturali statu desciscit; ut patet in varia insitione vegetabilium; ubi unus idemque liquor aquosus per diversos tubulos, pressione ætheris ascendens, in trunco plane differt ab eodem, qui à trunco in ramum insitum profluxerit, unde diversitas foliorum florum & fructuum emergit. Si vero acies salium nimis dentata & acuta promineat in fermentato corpore, id est si nimis lacera, disrupta vel erecta hastarum instar corpuscula per motum intestinum reddantur terrestria quæ aliàs involucris & integumentis loco ramoso-viscosis salibus esse debebant, tunc in suo cursu quævis obvia pungendo & scindendo vellicat, pungit & uno verbo omnia in suo transitu lædit & turbat, quod patet in acidis vel acris per fermentationem vel ignem factis, ut in *aceto, Spir. nitr. sulph.* &c. illud enim obiter notandum per intricacionem in terrestri corpore salia fieri obtusa non autem per angulorum abrasionem ut quidam volunt, anguli enim salium nunquam abradi queunt, integro manente sale, sed dividi vel involvi eorum anguli sese sinunt; e.gr. *ol. vitrolis*, insipidum redditur per *antimonium* ubi informam sulphuris communis ascendit, *acetum* suo acore privatum per *ferum, calcem, oculus cancri* &c. quamvis ibidem nullæ abrasiones observentur, &c. quæ centum ac centum experimentis prosequi possem, si hanc materiam ex professo tractare animus esset, sed brevitati studens hæc currente stylo attigisse sufficiat.

IX. Hæc duo vitia capitalia igitur dici queunt, è quibus reliqua tanquam è propria scaturigine fluunt, sc. *fermentatio mala & obstructio vasorum*. Inter ea, quæ ad fermentum requiruntur aërem necessario dixi concurrere, qui ratione molecularum salina sulphurearum diversissimæ texturæ, non minimæ contrariorum sæpius effectuum sunt causæ, ubi altius impulsæ hæc moleculæ eodem ferme modo, in præcipuas nostras fluidas & solidas partes agunt, ut de fermentis & fermentatis diversis monui quoniam ratione figuræ illarum parti-

particularum homogeneæ vel heterogeneæ nostra œconomia multum juvatur aut læditur. *Materia peregrina* tantopere à Cartesii sectatoribus decantata & pessimæ sæpius ad nauseam usque usurpata, in æthere delitescens, idem est cum præcedenti, quippe quæ sola terræ & Salis per motum elevatorum, indebita figura peccat, ut omnia solent corpora magis sensibilia quæ ulterius persequi angustia harum pagellarum vetat. Quamdiu enim illa corpuscula constantibus poris prædita existunt, tam diu suum imprimunt characterismum mollioribus & cedentibus magis flexibilibus particulis hinc illas ad nutum suum disponunt, læsis motu & figura pristina: Hinc non mirum est *æris mutationes & vicissitudines*, ut & *radiorum solis diversas reflexiones*, diversimode corpora nostra afficere, quoniam rigida & salina constitutio æris, violentius nos per illa spicula concuteat debet & præmere, quàm humida & mollis particularum inibi mixtura, quæ lento & tardo tantum motu nos agitat: sic & corpuscula in diversa fluxu & refractione repercussa & excepta, lineas figuras & per consequens actiones toto ut ajunt cœlo à se invicem descrepantes nobis offerunt, quod perspicua uistoria sat abunde manifestatur; hinc enim diversa anni tempora, variæ cœli & regionum differentiæ, quoad vegetativam omnem vitam sese produnt.

X. Unum incommodum cum aliud perpetuo secum trahat; hinc ex hac officina malorum myriades prodeunt, undiquaque corpus nostrum afficientium. Humoribus enim malè dispositis, partes solidæ partim obstruuntur, partim in cohæsiōne sua interpellantur, vel sæpius totaliter destruuntur. *Actiones* inde multis modis lædi, omnesque sæpius facultates & functiones aboleri debere, sat manifestè ex iis quæ breviter de alimentis dixi patet; illis igitur magis enucleandis hic supersedebo tot enim numero existunt ut integrum systema requirerent. Breviter autem sufficiat dixisse omnem *turbationem* regiminis nostræ œconomix esse sui generis *morbum*, qui non semper differt ratione causæ afficientis sed ratione partis affectæ. Nam ut in diversis ductibus, poris, glandulis &c. diversi observantur humores elaborati, minus vel magis motui ob subtilitatem aut crassitiem suarum partium, obediētes; sic quoque pro tenuitate efficacia & validiori usu illarum partium, affectus nuncupatur benignus vel malignus &c. Quemadmodum insuper illa peccans materia, vicissitudines motus diversas subit jam tardiùs, jam celerius agitata ab ætheræa materia, extravasetur & totam corpus percellat, jam planè quasi ab ipsius injuriis immunis, vel potiori parte ab ipsa per poros sufflaminata, in foco suo lateat, diversa *februm* nomina inde excogitarunt accuratissimi etiam in minimis Medici. Sed tædet me, quod diutius pessima illa symptomata quæ ex ipsis effluviis vel (ut ita loquar) inundationibus humorum malè figuratorum impetum in qualvis obvias partes & particulas facientium procurantur, perferutarer, quoniam sublata causa tollitur effectus. Ideoque tanquam

strenuus morborum debellator ad ipsa medicamenta transeo.

XI. *Medicamentum est corpus solidum, poris diversimode figuratis præditum, quod vario modo corpus nostrum alterare potest.* Ex hac definitione seu mavis descriptione sequentia notatu digna occurrunt. Primo quod ratione *solidi* medicamenta tantummodo agant, nam fluida ipsis tantum vehiculi loco & dilatationi superficieularum à se invicem inserviunt, illud enim satis sufficienterque manifestatur, in aqua per se plane innoxia, quæ aperiendo tubulos & meatus corporum illa activa reddere, solet & sæpius maligna. Requiritur etenim *solutio & fluiditas aliqualis*, ut rarior reddatur nempe textura, pori magis patuli fiant & *salia* spirituosa magis extricentur, ad impetus suos faciendos & mixturas ineundas, quamvis sola *corpuscula solida* omne absolvant negotium quibus absentibus vel mollioribus existentibus *inefficax* si non planè inutile sit medicamen, ad alterationem status aliis ipsi occurrentibus particulis communicandam. Secundò quod *pori magis constantes*, per quos molliora corpuscula vel mutua terræ & salis intricacione, condensacione aut repletione situm suum amittunt, vel transcolando, figuram variam admittunt, planè sæpiùs differentem à pristina, ( ut mollo plumbum per quadratas, triangulares, rotundas, fortuosas &c. cavitates pro tractum ejusdem notæ prodit ) chyli & humorum corporis nostri. Illa autem *diversitas* non planè extra ordinem ut sit, necesse est, sed ut mitior tantum sit activitas illorum salium & corpusculorum terrestrium necesse est, siquidem tunc facile in venenorum classem transirent medicamenta : id est *talis* requiritur *constitutio* partium medicinalium, quæ involvi & circurari sese patiatur postquam sufficienti copia sui generis particulis saturata fuerint, per motum propulsivum postea ejicienda: vel quæ hascè tantum noxias, non verò innoxias petant particulas, illasque alio modo disponunt vel ejiciant per vasa aut poros debitos. *Pororum differentia* in medicamentis diversitatem manifestam actionum demonstrant, indeque varii agendi modi dependent; ut in liquoribus chymicis abunde patet, hæc agredientibus, illa intacta relinquentibus, istis violentum motum imprimen-  
tibus hiscè autem omnem fermè motum præripientibus &c. Tertio quod *alterare* sit præcipuum medicamenti effectum quo mediante humores & vasa meatibus perverfis instructa, concussionem diversam inire coguntur, ita ut collisione sæpius mutua hæc corpuscula extricentur & attenuentur, alia vero deprimantur, conglulentur & dejiciantur. *Illa alteratio* certis includitur terminis & ex vel in parte tantum una non raro procedit & absolvitur, rariùs autem universum respicit corpus, nisi in herculeis morbis, ubi herculea requiruntur medicamenta, cum maxima tamen cautela exhibenda.

XII. Ex hiscè liquet *differentia* inter *alimenta & medicamenta*, nempe *mollities & inconstancia*, partium in prioribus requiritur, quæ per  
fermen-

fermentationem pressionem & exaltationem, in tubulis & liquore salino debito partibus corporis assimilari possint; è contra *durities* & *constantia partium*, quæ ipsum fementum & humores nostri corporis alterare possint, semper in posterioribus visuntur, ad aliqualem chili & humorum immutationem faciendam, quorum ope ex æconomia animali ea ejiciuntur vel convenientiori modo disponuntur, ea quæ ipsi molestiam creabant. *Medicamenta* cum infiniti dentur generis, etiam pro figuræ suæ diversitate & agendi modo, tam in dosi, usu & applicatione differunt, ut & pro ætatis & sexus variis conditionibus, diversa requiruntur, quæ breviter sequentibus elucidabo.

XIII. Ubicunque fluida & mollis existit corporis constitutio, ibi ad acidum proclives particulæ salinæ plerumque conspiciuntur, & tenera, mollis & mutabilis ut plurimum est dispositio, ut apparet in *infantibus* &c. In hoc casu igitur talia solummodo conveniunt, quæ humores fluctuantes firmare, acidum præcavere & partes tenellas nullo modo lædere sed potiùs demulcere possint: ideoque *balsamica terrestria* & *alcalina fixiora* ibidem conveniunt, blanda tantum activitate prædita; rejicienda autem *acria*, *nimis volatilia*, *acida*, ut & pleraque *olea stillantia*, quæ in tali ætate vix proficua esse queunt, & teneram æconomiam nimis alterant: talia sunt *oculi cancerorum*, *cornucervi* quocunque modo in pulverem redactum, *perle*, *corallia*, *terra lemnia*, *creta*, *crocus*, *succi herbarum* mitiorum, ut *taraxaci tussilaginis*, *chæresolii* & *olea recentè expressa*, *amygdalarum dulcium*, *raparum* &c. *Emulsiones* ex seminibus & fructibus &c. quæ omnia rite excipi debent in Sacharo & aqua convenienti. Hiscè aut similibus fere quibusvis morbis infantum & puerorum obviam ire possumus. Si verò coagula aut ex putredine *vermes* &c. producti conspiciantur, lenioribus *deobstruentibus* & catharticis expurgari & simul corrigi vel dilui queunt, inter quæ præcipuum locum merentur *mercurius vivus* in aqua communi infusus, *crocus martis aperiens* in magna aquæ copia extractus, & *antimonium crudum* in aqua calente detentum, hæ aquæ mirum in modum omni fermè sexui & ætati convenientes aquarum mineralium naturalium vices supplere possunt, & mirandas sæpiùs vires exhibent, rite præparatæ & benè desæcatæ ubi fuerint, insuper prosunt *infusiones*, sed non decoctiones, *fol. senna rhabbarbari* & *agarici solutio manne* &c. *passule*, *pruna*, *cassia fistulla*, &c. Omnia hæc in legitimè per se excocta aqua, extractioni placidæ committantur, ne spicula durissima & austera salis & terræ medicamento communicata, nauseas, tormina & læsiones procurent. In *media ætate* ubi juvenili & virili robore firmata fuerint membra, humidum nimium separatum sit, & partes solidè duriori cohæsione gaudeant injuriis quibusvis non

tam facile cedentes, imo ubi magis dispersa partes notabili incremento quantitate & qualitate præpollent, ibidem ad fortiora recurrendum, vel potius majori dosi eadem propinanda spiculis salinis suffulta quibus Mediantibus lenissimæ & levissimæ sæpius vires fiunt acerrimæ & fortissimæ, prout in venenis demonstrabitur. Omnia igitur hinc sint aliquo modo salina volatilia fixis permixta, ut *sal ammoniacum, nitrum, tartarus sulphur, olea quævis stillaticia, salia volatilia & spirituosæ, tinctura quævis ex venere, marie, antimonio, ex animalibus & vegetabilibus* cum menstruis salino sulphureis extractæ, &c. &c. quæ omnia hic recensere tædiosum & molestum foret. In genere vomitoriis expurgetur saburra circa ventriculum & prima vasa stagnans: cathartics per inferiora purgantibus fæces circa intestina tenuia & primas chylicationis vias hærentes, ut & chylus ipse inordinatè & crassè sanguini mixtus expellatur. Serum onerosum & salsum per *salia muriatica & alcalia fixa* exoneretur præcipitatione & colliquatione per renes: reliqua *minora coagula* & ferosi tenues humores per *sudorifera, diaphoretica, alexipharmaca* &c. corrigenda vel per poros cutis eliminanda in quibus posterioribus, fere omnis cardo medicinæ & restitutionis sanitatis consistit amissæ; ubi nempe motui & figuræ pristinæ, liberæque circulationi redduntur partes redintegratæ. In *senili ætate* ubi omnia rigida, sicca & frigida deveniunt, intermedia requiruntur *humida, balsamica & spirituosæ*, quæ debitum partium situm conservare & vires deflecentes restaurare possint; ut omnia *temperata aromatica & sulphurea* cum *spiritu vini* extracta, *gelatina* ex cornibus & fructibus, *condita* &c. quorum descriptiones ab auctoribus peti queunt.

XIV. Vitanda in omni ferè medicina, *nimia purgatio, venesectio & immoderati sudores*: hisce enim primo *spiritus* nostri præcipitantur & coagulati cum fæcibus dejiuntur & fermenta nostri ventriculi debilitantur: Secundo. *Balsamum* nostræ vitæ debilitatur, & acris insultui magis objecta vasa depleta, nimium admittunt ejusdem acidum, unde aërior evadit sanguis, & lypothymias, hæmorrhoides &c. efficit. Tertio. *Spiritus* per motum illum sudoriferum nimis incitati, unà cum *lympha* & sero è poris valde nimium patulis pereunt & fugam tentant, unde totum corpus colliquatur & quasi contabescit, potioribus spiritibus machinam nostram regentibus & dirigentibus destitutum. Ne quis autem hic medicamenta diversis partibus & functionibus dicata expectet cum jam plus multo creverint hæc paginæ, ut vix ac ne vix quidem accuratè deliniari possint, nisi cum multis delirare velimus, multa vociferantes de stomachicis, cardiacis, cephalicis, urerinis &c. Sufficiat ingenua confessio nos vix aliquid certi ea de re in medicina habere, nisi credulo vulgo & irrationali experientiæ simul manus dare velimus, aliis autem rationibus illa prosequar si Deus ter optimus maximus vitam & experientiam rationalem concesserit diuturniorem interim jam manum de tabula.

XV. An-

XV. Antequam his finem imponamus, vix mihi silentium imponere possum, quin de *purgantibus* aliqua proferam, nempe nulla dari *electiva*, nec strictè hæcè aut illas partes aut particulas evacuantia, quicquid etiam alii in contrarium clamitent. Inutilis enim est illa *objectio*, quæ à mera experientia petitur satis rustica, quod alius *consistentiæ & coloris* fæces alvi dejiciantur per hoc, planè alius notæ per aliud purgans, quippe hæc differentia, non ratione fæcum ejectarum, sed ratione ejicientis oritur: ut in chymicis experimentis abunde patet: Sic ex gr. *ferrum cum oleo vitrioli solutum viridem colorem præbet*, cum *spiritu salis flavo virescentem*, cum *spiritu nitri rubrum exhibet solutionem*, quamvis una eademque ferri ramenta eodem modo immi nuantur. Sic & *cuprum* in aceto planè *viride* redditur & in *spiritu nitri ceruleum*; in *spiritu salis ammoniaci* intense *cerulescit* &c. *Spiritus salis mercurium sublimatum* in forma solida elevat & conservat, idem *antimonium liquidum* & *accessus aëris liquidius* efficit, ubi è contra *aqua regia sibi* in *pulverem siccum & album* reducit, *rubrum & flavum* &c. &c. At vero respectu efficacîe figuræque partium ipsarum purgantium non minima alterationis causa subsequitur, cum impetus & effluvia multum sæpiùs differant, unde sæpiùs proficua sed non rarò noxia & deleteria evadunt, ad modum venenorum immediatè jam describenderum.

XVI. Quæcunque igitur corpus nostrum stabiliunt & conservant, dicuntur *alimenta*, quæcunque illius errores corrigunt *medicamenta*, quæcunque illius crasin & ordinem impediunt aut extinguunt *venenorum* nomine veniunt. Illa igitur breviter & succinctè in hac thesi pertractabimus, non ut exactam eorundem noticiam exhibeamus, sed ut cautelæ & generalis notionis loco & elucidationi præcedentium inserviant. *Venenum est corpus solidum pessimè respectu aliquorum corporum figuratis & iisdem maximè constantibus poris perversis præditum, in quibus salia planè acria & corrosiva continentur, vel mediantibus quibus eadem producuntur.* Ex hac descriptione sequentia educi queunt. Primo medicamentum & venenum esse corpora solida, nempe testreria & salina ut & ea utraque in vario gradu à figura nostrorum pororum tantùm differre, unde *medicamenta* sui generis debiliora venena dici queunt, & è contra *venena*, vehementiora medicamenta. Secundo constantiam pororum maximam requiri ut in occurso aliorum corporum immunes perstare queant particulæ, undiquaque impetum facientes in corpora quævis obvia; imò ut eundem situm non mutant in mutua mixtura, sed potiùs quævis liquida & solida instar fermenti maligni perpetuo afficiendo malè figuratas particulas augeat, quæ ulterius procedentes, partes principes infestant, vel coagula diversa producant, putredinem & obstructionem postmodum parientia. Tertio cum terra per se sit iners necesse est, ut salia secundum poros & meatus terræ disposita, diverso acumine: ut plurimum uncinatæ, sese proferant, ut divisionem



tionem & perturbationem nostris salibus & sulphuribus procurent, adeoque divisionem continui faciliunt. Hæc *salia* postmodum unita cum nostris vi sibi ulteriorem viam faciunt, *claustra balsamica* perfringunt, & figuram planè aliam sphaericis nostris particulis inducunt, unde ruit tota animalis œconomia. Quarto et si *insipida* aliqua videantur esse *venena*, attamen sale orbata interno rarè vel nunquam sunt, quod patet in plurimis aliis corporibus; Sic ex gr. *sulphur commune* insipidum est, *salem* quamvis fundat *acidissimum*, *cornua*, *ungulae* &c. *insipida* sunt è quibus tanta *copia salis volatilis* eruitur &c. Si autem copia salis defuerit in ipsis corporibus solidis, illa recompenfaretur à fermentabili nostro sale, in poris illis male figurando. Quinto *plurima corpora* per se sunt innoxia, quam diu *non soluta* existunt vel porosiora reddita influentiam majorem admittant. Sic ex gr. *antimonium crudum* tutò internè exhiberi potest vel decoqui vel infundi in liquoribus quibusve fermentatis aut non, è contra antimonium porosius redditum, per fugam sui sulphuris balsamici vomitus horrendos movet & veneni vices in majori dosi supplet: *Mercurius* per se exhiberi potest; sed *idem* cum *sale communi* etiam innoxio sublimatus, *corrosivum venenum acerremum* constituit &c. Planè contrariò modo accidit, ubi plane interno sale privantur plurima etiam pessima venena, vel ubi alium situm acquirunt: Sic ex gr. *arsenicum* cum *nitro* & *sp. nitri* optimè calcinatum, mite evadit: *napellus*, *cantharides* &c. in *spiritu nitri* aut *ol. vi-riol.* digesta fiunt innoxia. Sexto cùm non eadem sit omnium corporum figura & delineatio tam intema quam externa, inde necessariò sequitur, non ubivis ejusdem esse efficaciam idem *venenum*, sed certo tantum respectu nocere; quatenus nempe disconvenientia pororum major aut minor accedit, & partes solidæ magis aut minus teneræ vel duræ existant: illud enim passim obvium, pereunt enim hæc animalia talibus, quibus alia vitam sustentant suam. Multum etiam *consuetudini* est tribuendum, sic assuetis nulla nocuisse venena historiam passim testantur. Ut medicamentorum vires plurimis gradibus differunt, sic & *venena*, quæ pro ratione figuræ terræ & mixturæ salinæ citius aut tardius, efficacius aut debilius operantur. *Antidota* hic locum occuparent, si clare & distinctè figura & forma eorudem nobis perspecta esset, nempe talium quæ apud Authores celebriores pro iis habentur. Tria autem hæc colophonis loco adjiciam; *oleum expressum* copiose sumptum esse maximum antidotum, cum salium spicula obtundat, terram involvat & partes solidas obliniat illas ab injuriis defendat, quod in oleo super laminam metallicam obducto patet, in quam postea nulla aqua fortis ingressum obtinet: *Vomitorium* est antidotum, ut eliminet causam peccantem, ex tempore assumptum: *Sudorifera* alcalina copiosius assumpta sunt antidota, acidum enim acre obtundunt & per poros materiam malignam dissipant.